DE CHRISTI IVSTITIA, ET IN REGNO SPIRITVALI ECCLESIÆ PASTORVM officio.

Concio

Ad Academicos Oxonienses.

Phil. 1.8.

Deus dilectus est verbum, & Non Nulli inde-
ab scientiam.

OXONIÆ,

Ex officina Typographica Iosephi Barnesij. 1597.

IESU CHRISTI
IUSTITIA, ET
REGNO SPI-
RITUALI ECCLE-
SIÆ PASTORUM
OLIM.

Concio

Ad Academicos Oxonienſes.

PSAL. 18.

Iudica me Deus, & discerne causam meam.

OXONIÆ,
Ex officina Typographica Iosephi
Barnesij. 1597.

AMPLISSIMO DOMINO ET REVE-
rendissimo in Christo patri, JOHANNI WHIT-
GIFTO Totius Angliæ primati, & Me-
tropolitæ Regiæ Majestati à secre-
tis sacrisq; consilijs, I. W.

DVM Deo & Christi regno animas nostras devovemus, cælestis tutela Nos custodit, & inter viperas & scorpiones quorum veneno periclitatur salus ecclesia innocens anima tua est. Memor proinde officij mei (Reverendissime pater, Memor sponsæ Christi ad cuius exstium tot Dæmones & mundi & loquentes excubias agunt, memor vocis prophetica, Dies diei eructat verbum & nox nocti indicat scientiam, has immaturas & crudas meas in Christi vineâ primitias, alia tuâ Amplitudine, alia meâ ætate digniora Emolsens & paulatim digeres ad te misso, mei & veri in ecclesiâ, & fœderis pro ecclesiâ Rationem redditurus Amplitudini tuæ, cuius pietati erga me affectui & animum vere tutelarem debitâ cum Reverentiâ, summâ cum gratitudine recolo: & te primum inter tot schismatum ignes Aaronem & tabernaculi lucem eâdem voce, quâ ante trientium nostros in Academiâ prophetas & divini verbi ministros, humilimè alloquor: omnes enim debemus esse comites agni, & pedes angeli. Quisque pro muneris suæ Donationis Christi arcam fœderis aut sequi aut præire debet. Sequendus enim Christus est vt ait Hila-

Psal. 18.

Hilariter assumpsit eruce, & passionis suæ signum fortis animi volunt ate Cumulandum. Cui enim Nota est veritas sine Deo, cui Deus sine Christo, cui Christus sine Spiritus luce & radiis à Quibus omnis veræ Religionis flamma accendi tur. Clemēs Alexandrinus Christum ad fovendas fidelium animas pædagogū agentē introducit, alloquentē eos in vinea suscepit, vigiles animavit, pertinaces duros, obedientes lenius, provectos ut ita asseverat, infantes in fide blandius: Vt omnes ad lucem spiritus & fontem aquæ Vitæ perennem alliceret. Talis debet esse Eorum sermo, Qui omnes qui pereunt Deū esse cupiunt ut nos veritatem faciendo in charitate discamus in omnibus illum qui caput est Christum. Ita omnis nostra cura esse debet, ut membra Christi Spirituali augmento indies accrescant. proinde summa cum humilitate apud tuam Amplitudinem tuendo, ut ecclesia Cambrica præ spirituali fame, sacitate, nuditate, pastorum ignorantia, expilationibus, sacrilegiis, & multiplici in mastifero morbo langue scenti, & suas vastationes miserè plangenti, pro tua pietate erga Christianos fratres; fidei erga Regiissimum principem, amore erga nostram gentem & Christiano more erga alios ecclesia Anglicana artus & membra evulsa paternè prudenter consolere & prospicere dignetis, & Deus Opt. Max. tuis in fovendā Christi sponsa consiliis præsideat & Spiritus sapientiæ & veritatis dirigat illumq; Angelus, cuius Lucerna mundus est ducat & ad beatam metam.

Tuæ Amplitudini addictissimus,

Johannes Williams.

Apoc. 10. 1. *Eius facies erat vt sol, & pulvinaria columnæ ignis.*

SPeculum diuini spiritus est oculus animæ in quo Christi imago nacta sedem ociosis cogitationibus ita mentem liberat, vt solam Christi formam in speculo suo anima habeat lucentem, vt ait Basilius eiusq; pulchritudine ornari ardenter appetat. Idcirco præminiens animam Deus, aut sacro eloquio eam instruit, aut diuinis visionibus cõsolatur. Stephanus plenus spiritu sancto inter carnificũ manus vidit cœlos apertos & filium hominis sedentem à dextris virtutis dei Act. 7. Ezechiel cum esset in medio captiuorum vidit visiones Dei, vidit rotas horribiles aspectu, spiritum sequentes, & spiritus vitæ erat in rotis Eze. 1. Ita bonus est dominus sperantibus in eum, & animæ quærenti illum, ita fidelem animam ab omni malo custodit, vt eam diaboli timea non corrumpat, nec furirrepat, nec canis oblatret, nec lupus laceret, *vt loquitur Hillarius*. In hac visione Grauissimi patres & fratres in Christo charissimi) nec obscurior Dei gloria quàm in illa Stephani, nec minor potentia quã in illa Ezechielis apparuit; Idem Deus eadem vires, idem princeps eadem sceptra, idem pater eundem amorem, idem Iudex eand em misericordiam, idem dominus eandẽ gloriam, idẽ dux eosdem triumphos Stephani periculo & Iohannis exilio retinuit.

Basil. de vera virg.

Act. 7.

Ezech. 1.

Hilar. in Psal. 120.

Prior pars huius visionis ecclesiæ miserias, pars altera fidelium in Christo victorias recensetur: Postquam enim Angeli stantes in conspectu Dei Apoc. 8. sonãtes tubis, ignes mistos sanguine in terram vers. 7. aquas cruentas in abyssum vers. 8. stellas cadentes & absinthii amaritudinem in flumina & fontes aquarũ vers. 11. horrendas tenebras in solem & stellas vers. 12. locustas & animalia venenosa in aerem; equestrẽ exercitum sulphureos ignes spirantem contra electos & fideles Dei emiserint; acta est illa tragœdia, in qua ecclesia dei facta est spectaculũ mundo, Angelis & hominibus (facta est sanctaculum,) in quo spiritus adversus carnem, conscientia adversus peccatum, religio adversus mundi fraudes, sacra doctrina adversus hæreses & impostoras, spes contra diffidentiam, sanguis martyrum contra tyrannorum manus & gladios militat (Spectaculum mundo) qui tenebras habet quæ præcordia hominum excæcant; catenas habet quæ ipsas hominũ animas constringunt, immunditias habet libidines hominũ peste graviores, quæ fructum huius seculi spirant (Spectaculum Angelis) qui in officiis excubant ad conspectum domini & quibus mandatũ est Apoc. 7. nolite nocere terræ & mari quoad vsq; signemus servos dei, quiq; stantes in circuitu throni succinnũt (Salus Deo & Agno.) Spectaculum hoibus) quorum venter est Deus qui aure audiunt & non intelligunt, oculo vident & non perspiciunt quorum cor & oculi reniuntur, quo minus sanentur & convertantur ad dominum.

Apoc. 8. vers. 7, 8, 11, 12. 1. Cor. 4. Apoc. 7.

Ita mundus Angeli & homines, pii cum impijs, cũ hostibus amici, cum terrenis cælestia, cum caducis æterna,

æterna, testes sunt, immanem esse bestiam de mari ascendentem Apoc. 13. cui datur os loquens blasphemias, & potestas in omnem tribum & populum & linguam & gentem, quæq; contendit vt ecclesia semper sit facta spectaculũ mũdo, Angelis & hominibus. Ita Antichristus plenus irâ infesta dum signa contra sponsam Christi movet, lęva Christi sub capite eius est, & dextra illius amplectitur eam Cant. 1. incitatos hostis impetus retardat ille Angelus, Angelus fœderis, hic septimus angelus, angelus libertatis, cuius si oculos spectemus sunt sicut flammæ ignis, si caput multa gerit diademata, si nomen, eius nomen nemo novit nisi ipse, si vestem, vestis est aspersa sanguine, si comites, eum sequuntur equis albis; si manus, habet in manu libellum apertum, si vocem, rugit vt leo; si gloriam, terra illuminata est gloria eius; Si os, de ore eius procedit gladius ex vtraq; parte acutus: si vires, fortis est: si motum, de cælo descendit: si amictum, amictus est nube & iride: si faciem & pedes, eius facies est. Vt sol, & pedes tanquam columna ignis. Hæc est Angeli imago, qui est splendor gloriæ & figura substantię Dei portans omnia verbo virtutis suæ ad Hæbræos 1. *(Eius facies erat vt sol)* Iudutum in hac vmbrâ sacro corpore Christum intelligit August. Hęc etenim diui Johannis in Pathmo exulantis visio Christi iustitiam docet, nam eius facies erat vt sol, & Christi in Ecclesiæ administratione providentiâ docet, nam pedes eius sunt tãquam columna ignis. In altero splendor gloriæ, in altero celebritas victoriæ apparebit, in altero homo instruitur ne peccatis incumbat; in altero, ne peccatis succumbat: In

Apoc. 13.

Cant. 1.

Heb. 1. Augus. in Apoc. Ioh. hom. 2.

Apo.2. vtroq; qui habet aurem audiat quid ſpiritus dicat eccleſijs.

Eius facies erat vt ſol,

Pſal.79. Dixit Propheta, oſtende faciem tuam & ſalui erimus: conſpecta enim in Chriſto Dei facies fidelibus

Arouſt in pſal.79. ſalus eſt, vt ait Arnob. Propter Sionem non acquieſcam, donec egrediatur vt ſplendor Iuſtus eius:

Eſaiae. 62. & Saluator eius vt lampas accendatur inquit Eſaias. Qui iuſtus eſt reſplendet, qui ſaluator eſt accenditur: in altero, gloria pro fidelibus: in altero amor erga fideles cernitur: fons vtriuſq; eſt Chriſtus qui egreditur è Iudæorum tenebris ante Sionis oculos, vt Sion poſſit eſſe vt corona gloriæ in manu Domini: & diadema regni in manu Dei. populus qui ambulat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in regione

Eſa 9. vmbræ mortis lux orta eſt inquit propheta. Chriſtus lux eſt, quia tenebras diſpellit: lux magna, quia humanas mentes obſtupefecit, lux orta, quia carne aſſumptâ eius facies, erat vt ſol: in orbe æternitatis per orbem obſcuritatis, in ſphęra cõmiſerationis, per maſſam & molem corruptionis affulſit quia affulſit iis qui ambulabant in tenebris.

Exod.c.3 Ioſ.1.5 Ier.1.8 Apparuit Deus Moſi in rubo, eius vox erat; viſitans viſitavi: apparuit Ioſuæ in exercitu, eius vox erat, noli timere, quoniã tecũ Dominus eſt: Apparuit Ieremiæ in ſummo metu eius vox erat, ſanctificavi te, ne timeas: apparuit Ezechieli in medio igne, eius vox erat, ſta ſuper pedes & loquar tecum. Ita aliis victum, eſurientibus, aliis viam, errantibus: aliis libertatem, exulantibus: aliis vires, deficientibus: aliis gloriam, perſeverantibus: omnibus vitam, in Chriſto pollicitus eſt: qui

Chriſtum

Christum pollicitum, in carne venturum exspectarunt: in carne venientem crediderunt: in carne morientem coluerunt. Ita multis modis olim Deus patribus & prophetis apparuit, novissimè in filio, quem constituit hæredem vniversorum, & cuius facies erat vt sol. In sole nulla macula, in Christo nulla peccati corruptela; habuit carnem sed non carnis labem, in eo habemus eruditionem, ne peccemus: in eo remissionem, si peccemus: in ortu fuit debilis, vt illum hominem aguoscceremus: in mortis occasu potens, vt exhiberet nos sanctos, immaculatos, & irreprehensibiles, coram ipso. Inanes in illo replemur, mobiles in ipso radicamur, alieni in corpore carnis, eius per mortem reconciliamur: captivi, de potestate tenebrarum in regnum dilectionis eripimur: non novit peccatum, tamen pro nobis factus est peccatum, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso, solus de mundissimo conceptus est semine, etsi in similitudine carnis peccati, non tamen in carne peccati: et si filius carnis Adami; non tamen filius prevaricationis Adami, quē, vt ad nos descenderet, propria benignitas invitavit, misericordia traxit, veritas compulit, puritas vteri susceipit, potentia adduxit, obedientia deduxit, patientia armavit, charitas verbis & miraculis manifestavit, vt nos revelata facie, gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformemur, cuius imaginis facies erat vt sol: ita Christus nec peccatum admittit nec committit; se nobis purum exhibuit, vt nos puri, imaginem terreni exventes, portemus imaginem cœlestis, abundantes in omni opere domini, & scientes quod labor noster nō

Heb. 1.

Ad Colos. 1.

2. Corinth. 5.

2. Corinth. 3.

1. Corinth. 14.

est inanis in domino, Agnus est qui tollit, non qui seminat peccata mundi: In eo Deus sibi complacuit, quia in eo nullum peccatum Deo displicuit, vt lux vera illuminavit mundum, ut de plenitudine eius omnes acciperemus: plenitudo fuit gratiæ & veritatis; gratia ingerit misericordiam: veritas iustitiam: vt qui in Christo sunt, gratiam pro gratia & per gratiam, misericordiam cum iustitia reciperent. Prædixit,
Malach. 4. Malachias huius solis ortum, orietur inquit sol iustitiæ; orietur, sed timentibus: ita timor Domini vt est principium sapientiæ, ita est principium ortus huius solis iustitiæ: hic sol pennas habet, eius motus nullas mensuras patitur: non in circuitu orbis, sed in orbe cogitationum humanarum lucet: & in pennis eius est sanitas, in eius ortu abierunt veteres ceremoniæ, patrum vmbræ, prophetarum visiones, tabernaculi figuræ, Indæorum tenebræ; arbor vitæ paradisi in cibum vitæ; circumcisio cutis, in circumcisionem mentis; aureum tegmen propitiatorij, in auream coronam gloriæ: petra fundens aquam, in latus Christi plenum sanguine: Araonis tunica in vestem Christi nuptialem, Moses in Christum: typus in rem ipsam, vmbra in lucem abiit. Ita nox præcessit, vt ait Apostolus & appropinquavit dies vt nos opera tenebrarum, Induentes arma huius lucis, abiiceremus.

Quid ad radios divinæ huius lucis connives Indęe?
Rom. 13. tolle vmbras tuas, nam appropinquavit dies ad Rom. 13. tolle sacrificia & hostias carnales; nam sanctificandum Deo est sacrificium laudis, Psalm. 49. tolle circumcisionem veterem nam pręputium cordis circũcidendum est Ier. 4. tolle lampades & lucernas tabernaculi
Psal. 49.
Ier. 4.

naculi, nam lux vera venit in mundum Io. 1. colle bap- Io. 1.
tisma vetus, nam aquâ & spiritu nascendum est. In iu- Io. 3.
go Mosis quid gloriaris? iugum domini suaue est Mat. Math. 11.
11. In regno tuo terreno quid diutius insanis? nã reg-
nauit Salomon, sed in finibus Iudæ tantum: à Bersa- Termi.
sabee vsq; Dan termini regni eius signantur: Baby- Aduers.
loniis & Parthis imperauit darius; Ægyptiis Pha- Iudæos.
rao, Nabuchodonozor cum suis Regulis ab In-
dia vsq; Æthiopian habuit regni sui fines. Chri-
sti regnum & nomen vbiq; porrigitur, vbiq; creditur,
lux est quam non capit locus; odor, quem non spar-
git ventus: Iustitia quam non obscurat mundus: nec
Parthis lucet tantum, nec Babyloniis, non regis ad
illum maior gratia, non Barbari minor lætitia, om-
nibus æqualis, omnibus rex, omnibus Iudex, eius
Intra orbem orbis est, lustrat & circuit singula, sum-
ma, ima, omnia, præterita futura præsentia, suum in
sinum, suum in centrum colligit, & cogit: in mun-
do est, sed vt orbis in centro; & mundus eum non
comprehendit. noli hærere diutius in vmbraculis, Iu-
dæe; facies domini erat tecta patriarchis, retecta
Apostolis, tecta Mosi, retecta Iohanni - tecta pro-
phetis, retecta Christianis: hoc ille fecit, qui
fecit omnia, & qui velavit verbo, quod tandem
revelavit verbo & cuius velle est fecisse; Iam vi-
demus impletum, quod fuit ostensum; præstitũ quod
fuit promissum: factum, quod fuit figuratum: quan-
do attollimus oculos Ad illum Angelum lucis, cu-
ius oculi sunt vt lampades ad quarum fulgorem tri-
sti Iudæorum densa caligo. In Christo Iesu circum-
cisio non est aliquid nec præputium, sed observatio
man-

Hier ad Auguſt epiſt. 19. 1. Corinth. 10.

mandatorum Dei. Ita Hieronimus Iudęorum vmbras pernitioſas & mortiferas Chriſtianis cenſuit. omnia illis contingebant in figuris, ſed hic ſol oriens ab alto, è ſinu paternæ æternitatis cæremoniarum ſuperſtitioſas tenebras abegit, profligavit caliginem peccatorum, frigida corda charitatis igne accendens. Proinde quicunq; Chriſtum quæritis,

Prudentius in Epiph.

Oculos in altum tollite:
Illic licebit viſere
Signum perennis gloriæ,
Hoc ſydus æternum manet,
Hæc ſtella nunquam mergitur,
Nec nubis occurſu abdita,
Obumbrat latentia ſydera:

Solem videmus in qualibet cæli parte prout ei curſus eſt, demorantem: & certe vbiq; protenditur, vbiq; adeſt, & quantus per omnia eſt, ita vbicunq; eſt tantus infunditur: Chriſti oculis omnia nuda ſunt & aperta 2. Corinth. 1. Quæ agimus in eius diuinitatis ſinu agimus, cum iraſcimur, cum malidicimus, cum inebriamur, cum libidine vrimur, cum diuina & humana negligimus, cum nefarios gladios manibus crudeliſſimis contra innocentes acuimus, cum nefariis ſtupris, ciuili cruore, ſcelerum importunitate, ad luctum patriæ, ad vulnus eccleſiæ, ad mortiferas febres & morbos conſcientiæ, ad vaſtitatem reipub pace, pietate, puritate, periclitantibus, vt Epicuri proles perdite viuimus: Chriſtum præſentem habemus, teſtem & iudicem, ſpeculatorem, & vltorem; facer (inquit Seneca) intra nos ſpiritus ſedet, malorum, bonorumq; obſervator & cuſtos;

2. Corinth 2.

hic

hic prout à nobis tractatus est, ita & nos ipse tractat: intra nostrûm quemlibet solis iustitiæ radius sedet, nihil agimus, nihil molimur, nihil cogitamus animis quod non divinæ sapientiæ oculis subiectum sit, intimos animorum recessus Christus explorat, totius vitæ, omnium actionum, ad verbulum, vlq; otiosum, cum iudicij dies præeunte minaci fulgure, illuxerit, reddenda ratio est. Nam hic sol est sol iustitiæ distribuentis punientis remunerantis satisfacientis. Seneca epist. 41. ad Lucil.

Iustitia destribuens

Destribuit Christus omnia nobis diuinæ virtutis, quæ ad vitam & pietatem donata sunt: maxima & precioſa nobis promissa donavit, 2. Pet. 1. vnicuiq; nostrûm data est gratia secundum mensuram donationis Christi ad Ephe. 4. non est currentis neq; volentis sed miserentis Dei, Christus distribuit; qnod de me scio inquit August te mihi lucente scio, & quod de me nescio tam diu nescio, donec fiant tenebræ meæ vt meridies in vultu tuo. Refert Plinius Rodi & Syracusis, nullas esse tam densas nubes, quin sol indies semel cerni possit, Rhodianis & Syracusis huius mundi cultoribus sol iustitiæ aut per verbum, aut per sacramentum, aut per spiritum illucet, & animam quæ inhabitabilis erat, pulsa caligine (inquit Basilius) in templum suum convertit. Vt sol in suo cursu orbem perlustrat, sed per vices & temporum interstitia, nunc hanc regionem, nunc illam, nunc hanc vrbem, nunc illam, nunc Romanos Lares nunc divisos toto ab orbe Britannos, nunc gentes, nunc Iudæos: Ita successio est æterni luminis, suc- 2. Pet. 1 Ephe. 4. August. lib. 2. Conf. Cap. 5. Plin. lib. 2. Basil. in Psal. 67.

 cessio

ceſſio eſt religionis & beneficiorum Dei: hic verò ſol Nõ eſt ſemper perpẽdicularis, Sion glorioſus cecidit, Bethelem obſcura latet, quæ fuit olim Vagiente infante, parturiente purâ virgine, auro, mirhâ, & thure, ſapientum oblationibus, inſignis: vbi recedit radius, ibi horror, frigus, ſterilitas dominatur, vbi recedit Chriſti ſplendor, ibi horror eſt conſcientiæ: frigus animæ, ſterilitas bonorum operum: recedit autem radius huius ſolis, quando oculum animæ ingratitudo claudit. Dixit Chriſtus Io. 8. ego ſum lux mundi, lux quam multi prophetæ, & reges videre voluerunt & non potuerunt. Lux mundi, mundi viſibilis per creaturas: mundi inviſibilis per gratiam. Lux mundi, quem creavi verbo, quem recreavi ſanguine, cuius oculi vt ſint tam patentes cupio, quam patentes ſunt eius termini, vt orbis naturæ æqualis eſſe poſſit orbi iuſtitię: Non enim peccati labẽ cupio, nec peccantis mortem. quicunq; animæ lumina elevat, in me defigat oculos, ſum enim lux mundi, qui ſequitur me non ambulat in tunebris, ſed habet lumen vitæ. Hæc eſt Academici ſolis iuſtitiæ diſtribuentis lux

Cuius aſpectu diſpelluntur tenebræ,
Cuius intuitu liberantur animæ,
Quam qui fugiunt moriuntur vivi,
Quam qui ſequuntur viunt morituri,
In qua qui manent, nihil damnationis habent,
Quia ſunt in Chriſto:
Sine qua qui ambulant, nihil delectationis
Habent, quia ſunt ſine Chriſto.

Nec diſtribuit modò, ſed radijs & luce, quando ad facinora

facinora iis abutimur, adurit; Nam sol iustitiæ punientis Christus etiam dicitur, adurit suis radiis eos qui salutare iubar conniuentes, fastidiunt: intonat de cælo dominus, puniens est iustitia; misit sagittas suas & dissipavit eos; puniens est iustitia: Pharaonem coeuntibus aquis submersit, Saulem corruscante gladio interemit; Senacharib filiis conspirantibus deiecit: Antiochum furente exercitu interfecit; puniens est iustitia. Caveant igitur hos adurentes radios principes terræ, quorum in ore Christus est, in corde Iudas: in ore sacrificium, in corde sacrilegium: in ore puritas, in corde pruriés obscænitas: in ore evangeliũ, in corde sanguis & bellum: in ore reformatio, in corde deformatio: in ore tẽplũ domini, in corde patibulum domini: in ore religio, in corde proditio & perditio est. Nam iustitia puniens est, quæ sævit in illos, qui in hoc sole vmbram mortis, vmbram peccati amplectuntur. Simus igitur prudentes, & pœnitentes (Academici) puniens enim hæc iustitia est, Deus intonat ab alto, eius sagittæ acutæ sunt, omnes arcus intenti sunt, vngulæ equorum eius sunt vt silex, & rotæ eius quasi impetus tempestatis. Dixit Christus cæco respice Luc. 18. leproso mundare, Math 8. adolescenti mortuo, surge, Luc. 7 Lazaro exi foras, 11. discipulis venite post me, Math. 4. Piscator relinque rtia, Princeps proiice sceptra, Academice defere schismatis ignes; Civis da pauperibus tua bona, mercator quid ludiam petis, senex linteum sepulcrale confue; Adolescens surge à peccato, omnes enim debemus esse spirituales helitropij solem Iustitiæ sequentes. In meridie Nunc est sol Iustitiæ

Psal. 17.

Esa. 5.

Luc. 18. Math. 8. Luc. 7. Ioa. 11. Math. 4.

ſtitiæ à puncto virticis occaſum minatur, pœnitentiam agite, rectas facite ſemitas, non veſtras, peccati ſemitas; ſed huius ſolis iuſtitiæ ſemitas, vox enim Chriſti eſt, cæco reſpice; leproſo mundare; mortuo in peccatis reſurge, omnibus Chriſtianis, venite poſt me, iis enim viam aperit quos venientes reperit; in viâ ducit, dirigit, docet, remunerat, ducit ſpiritu; dirigit exemplo; docet verbo: remu-
Apoc. 11. nerat præmio, habet enim claves mortis & inferni, bonos diſpenſatores facit vt ſtellas, Quarum ſitus eſt immobilis in Chriſto: lux invariabilis per Chriſtũ, motus Regularis ad Chriſtum, locus in dextrâ Dei
Apoc. 22. cum Chriſto: Ille, Ille ſcit opera & labores & patientiam fedelium. Et in Iudicio Noviſſimo reddet vnicunq; ſecundum opera. Nam eſt ſol Iuſtitiæ Remunerantis. Et Quando opera Noſtra fœda ſunt, Quando ad limam ſeveri Iudicis habentur; Interponit ſua: Nobis enim factus eſt ſapientia, Iuſtitia, ſan-
1. Corinth. 1. ctificatio & Redemptio. Sapientia in Intellectu, Iuſtitia in voluntate: ſanctificatio in opere: Redemptio in ſtatu Animæ: Ita ſumus tutiores per donatam quam per innatam Iuſtitiam, vt ait Bernardus. Ille inimicitias carnis in carne tulit, gentes cum Iudæis per crucem Reconciliavit: Nos ſanctos, immaculaAd Eph. 3. tos irreprehenſibiles coram patre exhibuit. Nos ſibi Baptiſmo conſepultos chirographo mortis cruci affixo Adiuxit, ſuſcitavit deiectos, ſanavit Mortis aculeo confixos; Redemit peccati ſervos, liberatuit captinos: illuminavit ſpirituali caligine obcæcatos: Reconciliavit dei hoſtes factos: ſordibus contractæ à primis cunis corruptelæ coinquinatos abluit

& spiritu dei sanctificavit. Quid moramur fratres quid morimur in tenebris? cæleſtem huius lucis imaginem portemus demùm, vt tulimus diu vmbram terrenę Nubis

(Nam eius facies erat vt sol.) Basilius notat motũ solis esse indefessũ et irremissũ; irremiss⁹ & indefessus est Christi motus, eius voluntas nõ impeditur, Nisi Nostrâ ingratâ Volũtate Renitẽte: eius misericordiæ cursus non remittitur nisi intercursu peccatorũ, Quibus à nobis deus avertitur. leva oculos tuos in directum, Verba sunt Ieremiæ adpopulũ Israelem: mea sunt ad nostrũ Israelem Verba, (leuate oculos vestros in directum, leuate) quid terrena cogitatis: leuate oculos, non manus, non tabernacula, non castra, non arma cruenta, non scæptra, & fasces, sed oculos: levate in directum: rectus, simplex, castus est sponsæ oculus qui Videt dominum. Spiritualis Naas dextros vobis oculos conatur eruere: contemnite fœdus: nam fraus est in fœdere, si nequit vos cæcos facere, conatur reddere Strabones: cavete, rectus oculus Videt dominũ: conatur oculos nimiũ attollere: cavete, oculi sublimiũ deprimentur Esa, 5. conatur festucas invidiæ immittere, cavete nequã est oculus liuidi: Eccles. 14. conatur somno opprimere; cavete ne vos dormiẽtes inveniat dominus: conatur oculos lippientes facere, & pulverulentos, cavete, hic puluis, mundi & carnis pulvis est, aciem oculi animæ à luce divinâ in obliquum torquet: aureus oculus videbit Christum vt fulgur, non vt solem: quisq; dicat, vt olim Iacob, die noctuq; vrgebar æstu huius solis, & fugiebat somnus

lib de Spiritu Sancto.

Esa. 5. Eccle. 14. Gen. 31.

nus ab oculis meis : levate oculos in directum) non possumus hunc solem altero oculo, altero terram intueri: oculi mentis intellectus & voluntas sunt: oculi fidei & charitatis simul in hunc solem coeant: sponsæ oculus flagrantissimæ charitatis oculus est; quæ non fert natura, non fert gratia, vniendi sunt mentis oculi: vterq; debet esse rectus, vterq; careat festucâ: mutuus est aspectus sponsi & sponsę: mutui sunt aspectus huius Christi & ani[illegible]: ad solis ortum non solũ tenebræ evanescunt, s[illegible] reliqua etiam sydera occultantur, eorum splendor latet. ad Christi ortum, & natalem in animâ spiritualem, non solùm tenebræ peccatorum cedunt, sed siderum, hoc est eorum qui iusti inter homines videntur, lux evanescit: lucent omnes sub Christo. Iacobo de terrâ sanctâ egredienti sol occi
Gen. 29. dit Gen. 29. ad terram promissionis revertenti affulsit
Gen. 32. sol in ortu Gen. 32. ita Christus illis oritur, illos illuminat, qui terram Sanctam ingrediuntur, qui novam vitam incipiunt, qui in humanis corporibus vitam cœlestem imitantur: illis vero occidit, qui terrenis patrimoniis inhiant, Israelis possessionem deserentes. Nocte vastatus est murus Moab, (inquit propheta) non Moab insidiis hostium, sed sub nocte spirituali, Christo fugiente, Iustitiæ sole subtrahente suos radios Salutares, omnis ruina & animarum vastities imminebit. Proinde levate oculos in directum, Christus
Ioa. 13. dixit, exemplum dedi vobis: Ioh. 13. exemplum vivendi, exemplum moriendi, exemplum belli, exemplum triumphi, exemplum torturæ, exemplum patientiæ; non cognoscimus tempus visitationis nostræ, iam forsitan iam coeunt nubes, quæ hunc nobis solem

adi-

adiment: leuemus oculos in directum, fruamur dulciſſimo aſpectu, non Martis, non Veneris, non Mercurij, ſed ſolis iuſtitiæ Chriſti, quiſq; ferat intus in animâ fulgidum iubar, duriores animas emolliamus, obſcuriores illuminemus, ægras reficiamus, teneras foueamus, in omni tenebrarum porticu radios ſpargamus, pedibus in hoc mundo peregrinãtium lucernas & faces prætendamus, ſic erimus ſplendor in mundo, robur in templo, fideles in officio, veri paſtores in miniſterio, columnæ in tabernaculo, glorioſi in Dei regno, lux in domino cuius facies erat vt ſol & pedes tanquam columna ignis. (Eius pedes)

Hic Chriſtus ſtare poſſe dicitur quia pedes habuit: ſtetit Chriſtus, qui per mortalitatẽ paſſionis extingui nõ potuit, ſtetit qui totus ad cœlum poſt tot ſpiritualia certamina triumphans aſcendit, ſtetit qui omnem veritatis, & iuſtitiæ, rectitudinem implevit, ſtetit, qui tentatus in pyramide, ſerpentis malitiam ſuperavit, ſtetit qui perfectè de hoſtibus, mundo morte inferno reluctantibus, triumphavit: ſtetit qui in medio diſcipulorum ſtetit, vt in medio tyrannidis & indomiti furoris conſtantes diſcipuli dominarentur, ſtetit Chriſtus quando in carne veluti verus Ioſephus per agros mundi peragravit, fratres ſuos quærens, ita ſe nobis videndum attulit, occidendum obtulit, mirandum contulit, credendum tranſtulit, vt ait Auguſt, vt vera fide ad videndum Deum mentis oculus in nobis ſanaretur. Auguſtinus Pſalmum 92. exponens pedes domini evangeliſtas, & Apoſtolos, appellat, in quibus per terras omnes Chriſtus ambulavit: & Arnobius contra gentes lib. 4. pedum officium ait omne corpus

Aug epiſt. 126.

Arnob.

Eph.1. pus ſuſtinere: Corpus Chriſti eccleſia eſt ad Ephe.1. huius corporis pedes, miniſtri ſunt qui debent eſſe, vt pedes in labore, vt columnæ in conſtantia, vt ignis in ordore. Nam Chriſti pedes ſunt vt columnæ ignis, debent eſſe fortes, ſpirituales, fideles pedes: fortes ad propulſandas iniurias: ſpirituales ad deprehendendas inſidias: fideles ad Deum non ad ſua quęrenda: fortes fidei auxilio, ſpirituales ſapientiæ conſilio, fideles diſpenſationis miniſterio, vt nec vis infirmos: nec dolus incautos: nec Chriſtus pedes otioſos, & mortuos reperiat. Quando paſtor pedis nomine dicitur, nō dominium ſed officium indicitur, &

Hilar. proinde pedes Chriſti debent eſſe, quales Hilarius pingit, non pro curſibus vagi, neq; in viis incerti, neq; inanis doctrinæ Vento evolantes, ſed ſine commotione conſtantes in arce & in acie Dei. Eorum fides debet eſſe tam recta, tāq; invicta conſtantia, quę non in homine, ſed in Deo collocata, nunquam tempeſtate ſacrilegi ſchiſmatis diſſipetur. Qui ſerviunt vt Chriſti pedes, debent eſſe tales, quales Ruffinus

Ruff.lib.2. Cap.31. dicit Euſebium & Hilarium, fuiſſe, magnifica mundi lumina per eccleſiam, ſuo ſplendore radiantia: adeo vt omnes, etiam de abditis & abſtruſis Hæreticorum tenebræ fugarentur. Non enim ſunt pedes Chriſti qui compunctione Non ſcinduntur, Nec ovium vocibus mouentur, nec vineę vaſtatione excitantur, nec pietate erga afflictos molliuntur, nec domini minis cedunt, nec à rapinis & violentiâ recedunt ſed ad beneficia divina ingrati, ad Chriſti vocem ſurdi, ad conſilia Dei perfidi, ad iudicia humani generis ſervi, Eccleſiam Chriſti ſpeluncam latrocinii faciunt.

Videtis

Videtis fratres quibus spatiis, quibus stationibus nobis Christo seruiendum est, eius pedes sumus, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, Eius pedes sumus, qui nos dirigit in charitate & patientia, charitate dum fideles fouemus, patientiâ dum infideles sustinemus. Pedes dum sumus, nobis eundum est, sed non in vias Caini eas, in vias scelerum, cum Christo eundum est, & cum nos faciet humanæ salutis piscatores, ecclesiæ lampades, seculi iudices, cælestium dispensatores, luminaria mundi, salem terræ, nec sine triumpho duces, nec sine duce trisiphantes, inter furores & bella turos, & inter secures, securos; quâvis hostes cædes & bella spirẽt & securibus sæviant. Pedes dum sumus, debemus ambulare sed in sapientiâ, debemus ambulare, sed ad eos ambulare, qui foris sunt, tempus redimentes: debemus ambulare sed ambulandum est simul animis simul consiliis, alter pes dum labitur, alter Christi corpus sustentet: omnes inquit Basilius ad Athanasii, invicem alter alteri in mutuâ dilectione subũcianctur vetusq; robur ecclesiæ restituant. Pedes dum sumus eundum est, non volandum, serpendum humi est, humilitas enim sacrificium est Abelis hostiâ preciocius, fasciculus est mirrhæ, quẽ in canticis sponsa obtulit: sapientum est oblatio, thus, aurum & mirrha fuerunt humilitatis vmbræ, fructus terræ, fructus humilitatis est, hoc itinere processit Christus crucem passus, hoc itinere cum eo nobis eundum est, nam sancto similior est anima Christo, quanto similior ei humilitatis spectaculo apparet. Pedes dum sumus properandum est, sed ea via quæ recta est, quæ rectus & bre-

1. Tim. 2. & 2. Thes. 3.

breviſſimus eſt à Deo ad Deũ tranſitus, quæ non patitur excurſiones, vbi nec aſpis occurrit, nec baſiliſcus, cuius menſura Deus eſt, & cuius meta deus eſt: in qua ambulavit Iacob, & eſi dominus cuſtodivit, nos Chriſtus alloquitur quando dixit: venite ad me: non dicit venite poſt me, ſed ad me, ne poſſit eſſe diſtantia inter pedes & corpus, venite ad me Medicum ſalutis; portũ quietis; oſtium veritatis, ſpeculum bonitatis, fontẽ redemptionis, venite per fidẽ, ne erretis: ad me, ne incertiſtis: ad me omnes, ne ſoli ſitis: venite, hic curſus eſt fidelium: ad me, hic terminus eſt fidelium, ad quem qui currit, piè requieſcit, & in quo qui requieſcit, fructuoſè & fæliciter currit. Circumſpicite quo fructu veſter per tot pacis, per tot lucis ãnos fuit curſus fratres, levate oculos veſtros in Sionem, crebreſcunt conciones, ſed exulant opera miſericordiæ: nihil frequentius fide: nihil infrequentius charitate: vbi eſt illa vis Chriſtiana, quam regnum cæleſte patitur, Regiones in quibus vivimus ſunt magis ad ignem ſiccæ, quam ad meſſem domini albæ & maturæ: Pedes dum ſumus, ſumus lapidibus, laqueis, ſerpentibus, vepribus ſpinis, abſtoxiis hoſtium dolis, & periculis expoſiti, ſed quãdiu capitis nocum ſequimur, vnumquenq; noſtrũ Chriſtus alloquitur Quoniam in me ſperavit, Eruam eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meũ non debemus laqueos in via, in compitis pericula, timere: per nos in vniverſum mundum Chriſti doctrina diſcurrit, ſuſci piendum iter eſt, quid hic ſtamus ocioſi, ſuſcipiendum iter eſt, ſed eo animo vt Chriſtũ ſequamur, & aſſequamur; Magi ibant ſequentes ſtellam, Iſraelitæ ibant ſequentes ignis columnam, noſtũ

Gen. 28.

Pſal. 90.

itiner

itineri prælucet non stella, non ignis, sed sol iustitiæ; quid stamus ocioſi, magna pars vitæ elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus, quid hic stamus ocioſi; dum prophera Dei monomachiâ cum Philistæo congredi distinasset, diligenter quæsivit, quid dabitur viro 1. Reg. 17. quæsiuit quo 1. Reg. 17.
præmio erat afficiendus, qui Philistæum illum Israeliticis agminibus impiè insultantem occideret, ita spes alit non amantes Christum tantum, sed pro Christo certantes, & in viâ currentes ad Christum; Pedes dñi sumus, in Christo sumus, movemur in Christo, viuimus vitâ Christi, debemus currere in odore vnguentorum Christi; ita currere vt apprehendamus, lux & veritas debent esse duces viæ, duces vitæ, ipsa nos deducunt & abducunt in montem sanctum & Psal. 42.
in tabernacula Dei: pedes dum sumus (Academici quid pompas, quid vava, quærimus? planctus ecclesiæ attentionem excitet, periculum animæ odium exterminet, æquitas querelæ præiudicium temperet, dum vestra vlcera & putrentes morbos attingo. Pedes sumus non nobilium, non principum, sed Christi: currere quo Christus, stare quo Christus, scandere debemur quo Christus docet, debemus procedere vt Christus ad Iudæos, ad Pharisæos, in Hierusalem, pretereuntes Tyrum & Sydonem, scelerum sedes, & labyrinthos. Quo igitur serpentis dolo, evenit (patres vt pedes Christi, mundi principes sustentent, pedes Christi accelerent ad sanguinem: pedes Christi nunquam in vineam properent, Christi pedes in atriis nobilium, tanquam pedes lacteum ociantur, Christi pedes, abeant in consilia, stent in vijs impiorum, & sedeant in

catherdra pestilentiæ. Hoc vnum dico vt mitius dicã, multi inter vos imbecilles sunt & dormiunt, 1. Cor. 11. dixit Dominus Esaiæ, loquere ad cor Hierusalem, non ad aures, non ad vanos appetitus, sed ad cor Hierusalem, vnde illud Bernardi, illius doctoris vocẽ libenter Audio, qui non sibi plausum, sed mihi planctum quærit. De hiis Christi pedibus locutus est Daniel. Qui docti fuerint, fulgebunt tanqua splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. loquamur ad cor Israelis (Academici, erudiamus multos ad iustitiam, planctum mẽtis, non applausum multitudinis quęramus, sic pedes Christi, non Antichristi appellabimur, & sic pedes Christi erunt vt columnæ ignis. Vt columnæ, rectæ & erectæ, rectæ sine scelerum obliquitate, erectæ ad Christum, sine terrenæ vanitatis cupiditate, dixit Salomon, sapientia ædificavit sibi domum, & excidit columnas septem, non est sapientia, nisi ędificãs, ædificat non latronibus, non Pharisæis, non Hęriticis, sed sibi domum non in arena ponitur ædificiũ, sed columnis innititur, nec paucis sed septem columnis: Vt ædificium domus dei in sanguine Christi constans, ad fluctus mundi sævientes non corruat; debemus esse columnæ rectæ, & erectæ: Nam pastores ecclesiæ non debent surgere, quando Christus succumbit; stare, quando Christus iacet: Dei sumus Coadiutores & Christi imitatores. Vnusquisque in quâ vocatione vocatus est, permaneat. Paulus ad Colossenses ait, fratres state, fratres, in hoc affectio, state in hoc consiliũ cernitur. Debemus esse in domo dei constantes colũnę, nobis enim incũbit tabernaculi moles,

Esa. 40.

Daniel. 12.

Sap. 9.

1. Cor. 3.

tem-

templi pōdus, ecclesię minus, nos ferimur fluctus; nos impetus tempestatis concutit. Fratres dilectissimi stabiles estote, & immobiles abundantes in omni opere domini, ad Iamū: sub discrimine vitæ pro veritate certemus, nostra victoria habet gloriam placendi Deo, prædam vivendi in æternum: nolite timere, vincimus cum occidimur, evadimus cum abducimur, vt loquitur Tertull. quemq; nostrum Christus vt olim Paulum alloquitur: Constans esto, oportet te & Romæ testari: nam pedes Christi sunt vt columnæ ignis. Columnæ ignis. Plinius refert truculentos leones ignis fulgore, & flammâ perterrefieri: ministri Dei, quorum zelus igneus est & ardens religionis fervor, leonibus mundi, atheis potentissimis, maximū terrorem incutiunt. Cum Gedeon ductarus esset aciem aduersus castra Madianitarum, fractis lagenis inclusus intra eas ignis ita effulsit, vt hostes territi splendore, se in fugam verterint Iud. 7. Ita Ministri Dei debent in acie domini, contra milites & Phalāges mundi incedere, vt fractis per martyria corporum lagenis, ignis spiritus emicet ad terrorem hostium, nam pedes Christi sunt vt columnæ ignis. Hic ignis, non vrens esse debet, sed fouens: zelus ardeat, sed vt ignis in Rubo, sine incēdio ardeat, sed cum discretione, vt non ad amaritudinem dissentionis, sed ad correctionem dilectionis stringantur aculei increpet sed sine malitia, iudica, sed sine præiudicio, move sed sine motu, mordeat sed sine morte, corripe sed sine corruptela. Etiamsi tuus ignis seruus sit, & prætzelo furor, noce sed sine nocte, vt religio sine hipocrisi, increpatio sine maledictione, sermo sine amari-

Tertul. in Apol.

Act. 23.

Lib. 8. ca. 16

Iud. 7.

Exod. 3.

mari-

maritudine, vita sine turpitudine, lingua sine maledictionis lue, pectus sine scelere, sine impietate, ignis spiritus esse videantur.

Dixit Russino Hieronimus, cave ne per tuam trabem, meam festucam videas, festucas fratrum reprehendamus, sed non per nostras trabes, reprehendamus sed cum amore, vt noster ignis sit non naturæ, qui incendium tabernaculo minetur, sed ignis gratiæ, qui huius solis Iubar imitetur, & qui ex diuinæ gratiæ radiis, cælestis in anima cælestis, diuinum lumen ad opus ministerii emittit.

Samuel ibat per singulos annos, circumiens Bethel & Gilgal, Samueles Dei Ecclesiam in terris militantē Bethel & Gilgal circuire debent, diuina luce reficere, hoc igne spiritus calefacere, nam per eos eam Deus circumit, aduersis in rebus erudiendo, prosperis illustrando, in militia liberando, in pace ad regnum gloriæ perducendo, laboremus ad incolumitatem Ecclesiæ vt pedes: sustineamus pondus labentis & laborantis Ecclesiæ vt Columnæ: Emittamus radios, ad opus ministerii vt ignis spiritus, sic Erimus pedes, quibus in vniuersum orbem excurrit agnus Innocētię; sic Erimus ignis, quo illuminentur animæ ad regnum gloriæ. 1. Sam. 7.

Audiamus Iesum Christum loquentem, venite ad me, venite ad me medicū salutis, portum quietis, solium veritatis, speculum bonitatis, fontē redemptionis, venite ne offendatis, per fidē, ne erretis ad me, ne incerti sitis, ad me omnes ne soli sitis, venite quid statis otiosi, ad me, quid statis incerti, venite, hic cursus fidelium est, venite ad me hic terminus fidelium est, ad quē qui

currit

currit piè requieſcit, & in quo qui requieſcit fructuoſe & feliciter cucurrit. Nolite conformari huic ſeculo, Chriſtus eſt qui nos vocat ad curſum.

Aurum, Voluptas, gaudium,
Opes, honores, proſpera,
Quæcunq; nos inflant mala
Fit mane Nihil ſunt omnia.

Teſtis eſt orbis, nec ipſa terra quod videt, negat. Cõtemnite omnia quæ caduca ſunt, ad regnũ gloriæ vt. Chriſti pedes contendite, ad quod Regnũ nos perducat hic ſeptimus angelus, magni conſilii angelus qui tenet librum ſẽptem ſignaculis ſignatũ, qui claudit et nemo aperit, aperit et nemo claudit, qui redemit nos Deo in ſanguine ſuo qui ſtat ad oſtiũ et pulſat, et cuius facies erat vt ſol, et pedes vt columna ignis, cui cũ patre et ſpiritu ſancto, in Vnitate tribus, in trinitate vni Deo, ſit omnis benedictio et honos & gloria et poteſtas in ſecula. *Amen.*